

*firmanda?* Contra omnia haec ratiocinatur *Hafelbadius* ita ingrediens: *Petiuit ymo verius mandauit vestra R<sup>ma</sup> Paternitas super tribus punctis inire consultationem &c.* E quo, et mox sequentibus verbis: *Quia v. R<sup>ma</sup> P. tanquam angelus pacis ad has partes missus est pro pace et unione dissidentium &c.* concludo, rem esse de *Johanne Carvajalio* Card. S. Angeli a *Nicolao V.* a. 1448. in *Bohemiā* ablegato. Atque hic definunt laboriosissimi Theologi nostri, quem non immerito *Gersonium* aliquem *Germaniae* dixerim, numerosa Monumenta, quae ignota longa nocte urgebantur, quamuis ad Historiam eccl. aevi sui non parum facientia. Ad ea compingenda adhibitae sunt lacinae elegantissime exarati Codicis Hebr. e C. VI. *Esther*.

## DCXXIV.

U. 194 Codex chartaceus lat. Sec. XV.

Folior. 212. 4. maximam partem nitide scriptus, rubricis distinctus, et olim a *Thoma Hafelbachio* saepe laudato relictus Collegio B. M. V. *Domus rubee Rose* apud *Fratres Predicatores*, sed situ magnam partem exesus continet: I. Scriptum quoddam polemicum, quod *Indiculus* praeuius de *quadruplici Missione* adpellat, quodque init: *Viri etiam perfecti et in studijs eminenter literati non debent sancta et iusta facta ad eorum officia non pertinentia exercere nisi forte specialiter vocati &c.* Notum est, liberam cuiunque Diacono

aut Presbytero Verbi Dei Praedicationem ab *Job. Wiclefo* adfertam, et ab *Job. Husso* propugnatam fuisse. Hic igitur Sententia catholica suis rationibus stabilita breviter proponitur, et mox: *Sequitur Scriptura in oppositum collecta* — — — Reliquum Rubricae deperiit, sed Textus incipit: *Quidam verbum dei pro libito suo alligare volunt*, et mox citatur *Augustinus ad Orosium de quadruplici Missione*, qui cum eodem modo citetur ab *Husso* in *Defensione quorundam Articulorum Job. Wiclefi* T. I. Opp. edit. 1715. p. 143. f. vix erraui, si hanc quoque *Scripturam* ad *Hussum* referam, quamvis ignoratam ejus Editoribus. Ufferat Virum interdicta praedicatio, et frustrata adpellatio *Romae*, unde in eam valde acerbus est; *ibi enim*, ait, *primo ornatu meretricio vestitus est Siluester per Constantinum*. Verum, ut dixi, putredo magnam partem depasta est.

II. fol. 8. Incipit sermo *Magistri Bertoldi de Wyenna de assumptione Marie virginis*. In illud: *Gratia dei sum id quod sum. I. Cor. 15.* Initium: *Prestantissimi Doctores &c. Vas electionis paulus predicator veritatis et doctor gentium &c. Bertoldum Tyrolensem et Norimbergensem* in Scriptoribus nostris Acad. reperi, nullum vero *Viennensem*.

III. fol. 17. *Responsiones M. Husi contra M. Stanislaum Professorem theologie*. Ineunt: *Jam restat ad scriptum magistri Stanislai de Znoyma doctoris theologie accedere*

dere &c. Extant in *Opp. Husi cit.* T. I. p. 331. Mox sub initium inter verba: *clerum ewangelicum et potest reprehendi*, interfere e Codice nostro: *quem ipse Magister Stanislaus vocat fictum clerum ewangelicum.*

IV. fol. 38. p. 2. Συλλογη de Poenitentia et Confessione Locorum Augustini, Glossae Ord. Haimonis, quem et Hericum vocat Noster, et Remigii. Inter alia Sermo integer Augustino tributus, sed spurius, qui in edit. *Maur.* legitur T. V. *append. col. 415.*

V. fol. 42. D. Bernardi Epistolae II. Prior ad Adam Monachum. Si maneres in caritate, quam olim in te &c. Altera ad Eugenium Pontif. *Auditum est in terra nostra* &c. Extant edit. *Maur.* Vol. I. T. I. Epist. VII. et CCXXXVIII. *col. 17. et 233.*

VI. fol. 46. Job. Husi Responsum ἀνεπιγραφοῦ, quod incipit: *Quia magister Stephanus palecz doctor theologie olim amicus meus et socius precipuus nunc vero captiosissimus adversarius* &c. Extat edit. *Opp. cit.* T. I. p. 331.

VII. fol. 53. M. Husi appellatio a Iohanne XXIII. ad Christum. Init, ut edit. *mox cit.* p. 22. *Quia dominus omnipotens unus in essentia* &c. abrumpitur vero in verbis: *tum quia me fecerunt aliena pericula cautum.* Interim Edita eatenus e Codice perfici possunt. Post verba: *committens sibi causam meam*, adde: *saluatoris ihesu christi sequens vestigia.* Post verba: *Michaelem de Caussis*, insere: *plebanum quondam Ecclesie sancti*

*Alberti in noua Ciuitate Pragen.* Abruptis subjunge: *scilicet Magistrorum Stanislai et Stephani Palecz spoliatio et incarcerationio, qui in Bononia pecunijs* — —. De quo eventu dixi *Vol. super.*

VIII. fol. 57. Incipit Pastoralis beati Ambrosij. Libellus hic variis titulis in *Mss.* insignitus, tributus etiam Gilberto, potius Gerberto Philosopho facto deinde Rom. Pontifici sub Silvestri II. nomine, habetur praevia Admonitione in *Append. Opp. Ambrosii edit. Maur.* T. II. *col. 357.* Sed nobis hic ἀκεφαλός est, iis primum verbis incipiens: *Non iam ad subditum loquor vulgus, quos iugiter monere consueui* &c.

IX. fol. 59. p. 2. Incipit quidam libellus M. Jo. Husi contra scriptum octo doctorum. Ita: *Superest octo doctorum facultatis theologice scriptum discutere, quod Stephanus palecz* &c. Ut extat *Opp. Husi suprac.* T. I. p. 366.

X. fol. 87. Sermo uel Collatio coram Magistris in Collegio karoli studij pragen. In illud: *Humiliamini sub potenti manu Dei.* I. Pet. 5. Incipit: *Saluator noster ihesus christus uidens genus humanum uulneri grauissimo ac letali sauciatum ipsa superbia, &c. agitque de Animi demissione.* Non ausim fidenter Husso tribuere; ita nihil Viri χαρκτηριστικόν offert.

XI. fol. 91. Incipiunt meditationes beati Bernardi. Illae videlicet: *Multi multa sciunt, se ipsos autem nesciunt* &c. Bernardo abjudicatae et repositae in T. V. *Edit. Maur. col. 319.*

XII.

XII. fol. 98. *Bernhardus de disciplina nouiciorum.* Alias Opusculum: *Ad quid venisti*, rejectum inter incerta T. cit. col. 809. nam et apud *Bonaventuram* legitur edit. Lugd. 1668. T. VII. p. 613. in scriptum de *Institutione Novitiorum*, et inter *Davidis de Augusta* Opuscula T. XXV. *Bibl. PP.* Lugd. f. p. 867. titulo *Formulae Novitiorum.* In Exemplo nostro haec praemittuntur: *Per cottidianam experientiam semper melius intelliges, quod quanto quisque altius proficit in virtutis accione,*

*tanto clarius videt, quid adhuc sibi deest, et qualiter ad ea, que restant, debeat pervenire. Pf. A mandatis tuis intellexi. Primo ergo semper debes considerare &c.* Sic igitur Libellus deinceps decurrit, sed non uno loco contractior.

XIII. fol. 100. Inducuntur VII. sic dicta *Vitia capitalia*, totidemque *Virtutes* illis obpositae versu naturam suam explicantes, ita, ut versibus singulis una ex VII. earum Filiabus seu proprietatibus declaretur. Res in exemplo liquebit. *Superbia* dicit:

<i>Cetera dum sperno, memet transcendere quero.</i>	— <i>Ambitio.</i>	} <i>Filie.</i>
<i>Nescio parere, nisi iussa recuso tenere.</i>	— <i>Discordia.</i>	
<i>Extollor verbis mea magna loquendo superbis.</i>	— <i>Jaſtantia.</i>	
<i>Quod videor grata, mihi dat virtus simulata.</i>	— <i>Ypocrisis.</i>	
<i>Hec parui reputo, que meliora puto.</i>	— <i>Contentio.</i>	
<i>Me credo tanti, quod sim par altitonanti.</i>	— <i>Presumpcio.</i>	
<i>Non male concepta, sed mutabo bene cepta.</i>	— <i>Pertinacia.</i>	

Sed cum *Virtute V.* quae est *Largitas*, obmutescit Chorus.

XIV. fol. 108. usque ad finem *Codicis* congesta sunt *Exercitia* Scholastica disputatoria, seu *Quodlibetica* e *Logica*, *Metaphysica*, *Phyfica*, *Mathesi*, *Astronomia* et *Theologia* in *Academia Pragensi* celebrata, et saepe in utramque partem instituta, additis frequenter *Proponentium Nominibus.* Ita occurrit *M. Gregorius de Praga* in *Quodlibeto M. Hufs.* *M. Policz.* *M. Paulus de Praga.* *M. Hufs.*, cujus *Quodlibeti* *Quaestio* principalis fuit: *Vtrum a primo ente intellectu et immutabili omnipotenti omniscienti dependeat optima dispositio uniuersi.* *M. Cri-*

*stannus* dictus alias *de Prachaticz.* *M. Steph. Palecz.* *Sdeniko*, cui *Ducis* titulus in *Codice* praepositus videtur. Desinunt *Exercitia* haec, utinam tam utilia, quam acuta in *Tractatulos III. Dialecticos*, quorum primus de *Suppositionibus* subnotatur: *per manus Blasij filij Bristij de Roycha Anno domini Millesimo CCCC° quindecimo.*

DCXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 189  
Folior. 308. 4. non una manu, partim lineis longis, partim per duas columnas cursim exaratus, legatusque olim ad librariam domus collegij ducalis *Wienne* a *M. Jo-*

doco